

Bibliothèque numérique

medic@

**Brongniart, Ad.. - An diversae
variorum entium organicorum
facultates ab organismi differentia
pendeant ?**

1827.

Paris : Ex typographia C. Thuau
Cote : 90975

1

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS
MAGISTRI, INSTITUTA ANNO 1825.

AN DIVERSÆ VARIORUM ENTIUM ORGANICORUM
FACULTATES AB ORGANISMÏ DIFFERENTIA PEN-
DEANT?

THESES

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi, præ-
sentibus judicibus, publicis competitorum disputationibus subji-
care conabitur,

DIE 21 MENSIS MAI 1827,

AD. BRONGNIART,


PARISIENSI FACULTATE, E SOCIETATE PHILOMÀTICA ET
ATE HISTORIÆ NATURALIS PARISIENSI, ETC.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA C. THUAU,

Via vulgo dicta Cloître-Saint-Benoît, n° 4.

M.DCCC XXVII.



COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS
MAGISTRI , INSTITUTA ANNO 1823.

COMPETITIONIS THESES

AN DIVERSÆ VARIORUM ENTIUM ORGANICORUM
FACULTATES AB ORGANISMÏ DIFFERENTIA PEN-
DEANT?

THESES

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate medicâ Parisiensi, præ-
sentibus judicibus, publicis competitorum disputationibus subjici-
et et dilucidare conabitur,

DIE 21 MENSIS MAII 1827,

AD. BRONGNIART,


DOCTOR MEDICUS E PARISIENSI FACULTATE, E SOCIETATE PHILOMATICA ET
E SOCIETATE HISTORIE NATURALIS PARISIENSI, ETC.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA C. THUAU,

Via vulgo dicta Cloître-Saint-Benoît , n° 4.

M DCCC XXVII.



COMPETITIO XI (2) DELEGATIONE
TUSCENSIS OPTIME ETATIS 1830 SUMMI CIVITATIS UNIVERSITATIS
MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1832

COMPETITIONIS JUDICES.

PRÆSES	DOCT. DELENS.
	PROF. DUMERIL.
JUDICES	ORFILA.
	CLARION.
	PELLETAN.
	GUILBERT.
	DOCT. AGG. COUTANCEAU.
	DOCT. JADELLOT.

Quidam Deo inservire in superius invenit. Tuncque mea gratia Parisiensi, braciis suisque judicibus, apud eis competitionem diplomatis super citer et dignissime competitum.

Die 31. Mæxi. m. 1832

A. BRONGNIART

HODIOR SPECIE E PARISIENSIS FACULTATIS, A SOCIETATE IMPRIMATORI ET
A SOCIETATE HISTORICO NATURALIS PARISIENSIS, ETC.

COMPETITORES.

DOCT. DRONSART.

BRIQUET.

COTTEREAU.

BRONGNIART.

EX TYPOGRAPHIA C. THIAGI

Als zulige dies Cijfers Gijns-Gijns-Gijns, o. f.

M DCC XXXII

AN DIVERSÆ VARIORUM ENTUM ORGANICORUM FACULTATES AB ORGANISMİ DIFFERENTIA PENDEANT.

PRÆMISSA.

1. Diversæ facultates cuiuslibet corporis sunt variæ proprietates vel vires quibus effectum peculiarem producere potest, prout diversis circumstantiis impellitur.

Facultates sunt aliæ physicæ, effectum sensibus percipiendum producentes, aliæ morales, quarum effectus solummodo ab animâ percipiuntur.

Priores ab organismo pendent, non vero posteriores quæ solummodo sympatheticè ab illo afficiuntur.

2. Nomine organismi nihil nisi structura et dispositio diversarum partium cuiusdam entis organici, simul conspectæ, intelligitur.

3. Organisatio, sive corporis organici integri, sive cuiusdam partis ejusdem corporis, complectitur, 1° inter se dispositionem et consensum diversarum partium, seu solidarum seu fluidarum, quibus constat corpus; 2° intimam texturam et compositionem textuum vel humorum.

Dissectio priora exponit, posteriora vero microscopium et analysis chemica.

4. Sæpiùs rudis structura anatomica apprime cognoscitur; sed textura intima ferè semper ignoratur, et instrumenta imperfectiora effugit. Sæpissimè enim mutatur nec tamen nullo modo mutationes percipi possunt.

5. Sic sine dubio calor, electricitas, aqua, quædam venena



multaque alia agentia compositionem intimam et moleculararem; seu partium solidarum, seu humorum, non mutare nequeunt, et tamen soepius nullam mutationem instrumentis nostris percipiendam producunt.

6. Ut structura intima et molecularis, quae nos saepius effugit, certe proprietates corporum, praesertim viventium, maxime afficit, haud sane mirandum quod non semper cognoscatur quomodo facultates quedam entis organici ejusdem organismi submittatur; sed si facultates ab organismo saepius pendere observamus, certe inferre possumus eamdem convenientiam etiam extare cum differentia organisationis visum falluntur.

7. Sic quam ratione vita, facultas generalis omnibus corporibus organicis propria et communis, ab organismo pendeat, omnino ignoramus, nec saepius quænam differentia extet inter idem corpus, seu vegetabile, seu animale, ante vel post ipsius mortem cognoscimus.

De organismo generatim.

8. Texta elementaria, quibus componuntur organa entium viventium, natura omnino differunt prout in vegetalibus vel in animalibus observantur.

Priora e duobus solummodo textis elementariis constant, nempe: ex utriculis formâ variantibus et ex vasculis simplicibus. Posteriora vero tribus textis distinctis componuntur, scilicet: tela cellulari, fibrâ musculari, et fibrâ nervea; forsitan quoque propulsari textu elementario textum glandularum admittendum est.

In utroque regno texta elementaria ipsa globulis constant minutissimis, sphæricis, magnitudine, ut videretur, sub consimilibus, qui diversè inter se connexi, membranas utricularum vel vasculorum plantarum, fibrillas vero texti cellularis, muscularis vel nervi, in animalibus efformant.

9. Dissimilitudo texti cellularis animalium et texti utricularis vegetabilium characterem anatomicum maximi ponderis præbet ut hæc duo regna distinguantur; præcipuaque videtur causa aliorum differentiarum, seu anatomicarum, seu physiologicarum, quibus inter se discrepant.

Sunt tamen quædam entia organica quæ structuram, nec vegetabilium, nec animalium, absolutè ostendunt, sed textu filamentoso peculiari constant, ut Confervæ, Mucores, Byssi, plerique Fungi, Lycoperdones, etc.; quamvis enim vegetabilibus propriùs accedant, tamen differunt et organisatione et vivendiratione.

10. In animalibus e classibus infimis textum cellularare solum extare videtur, tunc vero contractione propriâ instruitur quæ solummodo obscurè in telâ cellulari animalium e classibus excelsioribus apparet.

11. E discrimine texti utricularis in diversis organis plantarum, variae functiones horum organorum oriri videntur. Sic epidermis, foliorum parenchyma, cortex, liber, lignum, medulla, radicum spongiolæ, glandulæ aliaque organa secretoria, non nisi utriculis constant formâ et magnitudine variantibus, inter quos vascula aliquando distribuuntur quæ humores organis solummodo afferunt.

12. In animalibus, etiam organa maxime discrepantia telâ cellulari diverse modicata solummodo construuntur, sed variationes texturæ fere semper facillimè observantur et sufficient ad discrimina functionum explicanda.

13. Functiones etenim texti cellularis mutantur si causâ propria ejus structura mutatur.

Sic, abscessu seu fistulâ in telâ cellulari effecto, si ejus parietes diù pure vel aliis humoribus extraneis humectantur, struc turam membranæ mucosæ induunt cujus etiam munera perficiunt. Aliis vero circumstantiis, si motibus iteratis areolæ telæ

cellularis distrahuntur ita ut cavitas unica satis extensa producatur, ejus parietes aspectum membranæ serosæ ostendunt, se-rositatem synoviae similem secernunt et omnino harum mem-branarum vices explent.

14. Præmissis facillimè intelligitur sæpius organorum func-tiones a mutationibus, etiam aliquandò levissimis, in struc-turâ textorum pendere.

Nunc examini subjiciendo mutationes quæ diversæ facultates entium organicorum in variis classibus naturæ experiuntur atque conferendo interdiù facultates hominis valentis et ægrotantis, apparebit quomodo quælibet facultas ab organismo pen-deat,

Vicissim ergo considereremus facultates quinque essentiales en-tium organicorum : 1º facultatem moleculas corporis renovandi, novasque sibi assimilandi quâ quidem facultate aletur et augetur ; 2º facultatem ens novum et sibi ipsi simile producendi ; 3º fa-cultatem seu partem corporis, seu corpus totum moyendi ; 4º facultatem sonos efficiendi ; 5º facultatem corporum exterio-rum proprietates diversas percipiendi.

Duae priores utriq[ue] regno organico pertinent, posteriores vero solis animalibus.

CAPUT I. DE NUTRITIONE,

Seu facultate novas moleculas sibi assimilandi, aliasque secernendi et ejiciendi.

Complectitur absorptionem (quam sæpe digestio anteit), circulationem, respirationem assimilationem et secretiones.

§ I. DE DIGESTIONE ET ABSORPTIONE.

Absorberi possunt solummodo materiæ vel solute liquo-

ribus vel saltem in moleculas adeo tenues redactæ ut non superant globulos etiam minimos jam in fluidis circulantibus extantes.

16. Facultas extrahendi alimentum e corporibus solidis semper ergo connectitur cum presentia cavitatis cuiusdam quæ hæc corpora seu humoribus diluuntur seu in moleculas tenuissimas resolvuntur.

17. Entia quæ contrà aluntur materiis jam causâ externâ seu dilutis seu maxime attenuatis, non indigent his cavitatibus quibus ideo semper carent.

Vegetabilia omnia pluraque animalia e classibus inferioribus sic immediatè absorbent substantias nutritivas quæ dissolventur liquore circumfuso.

18. In animalibus, quæ sic absque digestione nutriuntur, superficies tota corporis obtegitur membranâ simili membranae mucosæ cavitatis digestivæ et idem munus supplente.

In plantis plerisque (nisi forsitan in plantis submersis) absorptio solummodo spongiolis radicum et stomatibus foliorum seu caulinis herbacearum efficitur.

19. Vegetabilium radices (et verisimiliter folia) non æque omnes substantias aquâ solutas intus-suscipiunt. Absorptionis copia a naturâ substantiarum solutarum et a structurâ plantarum pendet.

Sic proportio et natura salium in cineribus vegetabilium variat et secundum naturam solo in eâdem plantâ et secundum naturam plantæ in eodem solo.

20. In animalibus cavitate digestivâ præditis, facultas suscipiendi non quodlibet sed propria unicè alimenta, certè pendet a formâ et organisatione hujusce cavitatis, cum omnibus adjunctis suis consideratæ. Ac proinde pendet a formâ et viribus organorum masticantium, ab amplitudine cavitatum, præterea a naturâ et copiâ humorum in illis effusorum.

21. Nemo nescit in mammiferis formam dentium semper naturae alimentorum respondere; aequi congruent forma dentium et natura substantiarum nutrientium in reptilibus et pisibus; modificationes in rostris avium hanc causam habent communem.

Vires musculorum maxillam moventium directioque motuum ejusdem ossis cum facultate plantis vel carnibus vesci semper convenient.

22. Si instrumenta masticantia in buccâ desunt et si natura alimentorum vim magnam requirit ut in pulvere redigantur, tunc in stomacho ipso teruntur ut in avibus granivoris et in Astaco observatur.

23. Alimenta vicissim submittuntur vi salivæ, humoris stomachi, humoris intestinalis, bilis et liquoris pancreatici. Liquor primus alcalinus albumen alimentorum dissolvit, secundus maxime acidus (acidum hydrochloricum, phosphoricum et lacticum continens) albumen coagulat. Humores alcalini in intestino existentes et præcipue bilis acida saturant et albumen sub formâ globulorum tenuissimorum redigunt, liquorem lacteum efformantium; sic ab organisatione propriâ cavitatis digestivæ formatio chyli pendet.

24. Hæcce phenomena chemica eadem esse videntur in omnibus animalibus ab homine usque ad insecta; in animalibus simplicioribus ignorantur. Nec etiam variant secundum naturam alimentorum; ut vero plantæ minorem copiam materiæ nutriti continent quam substantiæ animales, cavitas digestiva semper in herbivoris major esse debet, ut alimentorum copia major ingeratur, copiosioresque sint liquores secreti.

Structura hujuscemodi cavitatis in animalibus ruminantibus ad hunc finem certe respicit, plenim ruminacione alimenta salivâ apprimè imbununtur et formâ ventriculorum superficies extensiores sunt et humores copiosiores. Necessitas majoris

amplitudinis cavitatum digestivarum in animalibus herbivoris probatur mutatione hujusce cavitatis in Ranis quæ priore ætate herbivoræ, dehinc vero carnivoræ fiunt.

25. Vis horum liquorum ad digestionem efficiendam comprobatur 1º actione omnium fere substantiarum salivationem excitantium et digestionem adjuvantum, 2º actione carbonatum alcalinorum et aquarum eos continentium quæ vim salivæ supplere possunt et digestioni maxime favent, 3º influentia magnesiæ, si succi acidi stomachi copiosiores fiunt, ad eos saturandos.

26. Morbi organorum digestionis quoque probant quantum facultates digestivæ a structurâ horum organorum pendeant. Sic inflammations stomachi seu intestinorum quibus viciantur humores membranis mucosis secreti, affectiones hepatis in quibus bilis vel alteratur vel calculis retinetur, digestionem perturbant vel etiam impediunt.

27. Crediderunt multi physiologi digestionem effici nervo pneumo-gastrico, ferè ut pilâ electricâ, sed recentiora experimenta probarunt hunc nervum motibus ventriculi præcipue inservire, nec ejus sectione digestionem prohiberi nisi defectu stomachi.

28. Absorptio et exhalatio extant ad superficiem omnium membranarum quæ corpora exteriora tangunt (non de exhalatione seu resorbitione interiori loquor). Status membranæ et natura corporis ambientis, absorbendi vel exalandi facultatem determinant: sæpius simul hæ duæ functiones perficiuntur.

29. Liquores, gazes et substantiæ liquoribus solutæ, vel moleculæ tenuissimæ in iis suspensæ, solummodo absorberi possunt ut jam suprà diximus.

Texta quædam liquidis haud vel vix permeabilia sunt, ut epidermis animalium et vegetabilium cujus pori solummodo liquores admittunt.

30. Absorptionis vel exhalationis præalentia a ratione saturationis magis minusve absolutæ sive texti sive medii ambientis pendet. Sic emissiones cujuscunque humoris absorptionem favent, intus-susceptio liquidorum contrà exhalationem augent.

Harum functionum celeritas respondet extensioni superficierum quibus effici possunt; ut verò trans epidermidem, seu animalium, seu vegetabilium, nullo modò vel difficillimè perficitur, rapidior fiet prout epidermis seu omnino deerit seu poris numerosioribus perforabitur.

Etenim exhalatio vel absorptio rapidiores ad superficiem membranarum mucosarum epidermide parentium quam ad cutem; celerior etiam ad superficiem membranarum serosarum quarum textum tenuius est nec mucositate oblitum.

31. Ut in vegetabilibus et animalibus aquaticis superficies externa epidermide destituitur, absorptio copiosa et rapida fit, semperque hæc entia aquâ saturantur, sed æque celerrima fit exhalatio si aquâ extrahuntur.

In plantis quæ solummodo aquâ et substantiis in ea solutis nutriuntur hæc absorptio, caule et præcipue foliis effecta, absorptionem radicum supplere potest.

In animalibus verò, quibus opus est substaniâ nutrienti propriâ, absorptio cutanea non sufficere potest nisi quibusdam animalibus aquaticis quæ cute maximè absorbent et solummodo alimento rariori indigent, ut batracii.

32. In vegetabilibus et animalibus quæ aeri sicissimo exponna sunt, superficies exhalantes et absorbentes multùm minuantur interpositione partium impermeabilium; sic vegetabilia eò minus stomata exhibent ad superficiem caulis vel foliorum quò in aere sicciore crescere debent; reptilia terrestria, quæ pleraque vitam agunt in locis siccioribus et minimam humoris copiam cum alimentis suscipiunt, obtieguntur squami?

seu laminis corneis quæ exhalationem prohibent; batracii contrâ, in aquâ viventes, pelle nudâ instruuntur.

§ II. DE CIRCULATIONE ET RESPIRATIONE.

33. Adeo arcte connectuntur circulatio et respiratio ut in facultatibus entium viventium simul influant nec seorsum considerari possint.

34. Circulatione quemcunque translationem regularem fluidorum intelligo, nec ideò necesse est motum in circulum effici.

Deest solummodo in plantis vel animalibus in quibus superficies contactui aeris expositæ adeò multiplicantur ut respiratio in omnibus partibus effici possit, sicut videmus in pluribus plantis cryptogamis et in insectis.

Deest quoque in animalibus et plantis infimis in quibus vitales facultates vix evolvuntur et humores solâ imbibitione transferuntur et aeri exponuntur, ut in infimis cryptogamis, fungis, algis, lichenibus, animalibusque imperfectioribus, polypis, vermis parenchymatosis etc.

35. Respiratio dicitur quælibet mutatio humorum nutrimenti e contactu hujusce humoris cum gaze ambiente pendens.

Character physiologicus maximi momenti quo animalia discrepant a vegetabilibus forsan e diversâ circulatione et respiratione utriusque regni deducendus.

36. Humores radicibus intus-suscepti semper materias omnino solutas solummodo continent; succusque ascendens perfecte limpidus esset nisi in interiore plantæ misceretur humoribus jam elaboratis. Hicce succus vasculis, in textu lignoso contentis, in parenchymate foliorum adducitur ibique contactu aeris respiratio efficitur, succique mutantur; ut vero aer diverse agit, quum lumen adest vel deest, succi foliis allati, diverse mutari debent noctu vel diu. Duo humores respiratione diurnâ et nocturnâ producti, vel iisdem vasibus vel vasibus distinctis in caule reyehi possunt.

37. Facultas secundum latitudinem crescendi aut non crescendi, quā distinguntur monocotyledones et dicotyledones, et propter quam endogenae et exogenae dicuntur, ab illā differentia circulationis pendere mihi videtur.

In exogenis quisque fasciculus fibro-vascularis caulem percurrentis foliisque transmissus e tribus ordinibus vasorum et fibrorum constat, nempe: e vasculis punctatis (*vasc. porosis et tracheis falsis. Mirb.*) in medio ligno, e tracheis ad partem interiorem circa medullam et è vasculis propriis, seu e canalibus intercellularibus, qui eodem officio funguntur, ad partem exteriorem in libro.

In endogenis contra duo solummodo ordines vasorum exstant in quolibet fasciculo fibro-vasculari, scilicet: vascula punctata et tracheæ, nec unquam in caule inveniuntur vasa propria.

38. Liquores semper vasculis punctatis ascendere videntur. In endogenis credo humores, respiratione nocturnâ et diurnâ mutatas, iisdem vasibus descendere. Tunc succus descendens ab ascendentे vix differt, nisi detractione partis aquæ et minimâ additione carbonis. Hic succus paulum carbonis includens, saccharum et elementa amyli continebit, nec ullæ enim fere aliæ substantiæ in caule endogenarum deponuntur; non verò tantum carbonem succus continebit quantum necesse esset ut lignea materia producaretur, quamobrem nunquam cambium seu succus lignum generans in his plantis exstat et caulis non secundum latitudinem augetur.

In exogenis humores respiratione diurnâ et nocturnâ mutatae duas vias distinctas tenere videntur; priores, carbone divitiores, aquâ et oxigenio, contrâ pauperiores in vasibus libri descendunt et elementa continent ad lignum substantiasque resinosas corticis producenda, novaque strata ligni inter librum et alburnum, seu lignum receutius, exsudatione hujusce succi, seu cambio, semper efformantur.

Posteriores vero, minorem copiam carbonis includentes tracheis ad medullam revehuntur in quā materiam saccharinam vel amylaceam deponunt quae alio tempore ad formationem seminum proderunt.

39. Ab istā differentiā organismi etiam pendere videtur formatio, solummodò in cortice et in exogeniis, substantiarum resinosarum vel oleosarum, aliorumque principiorum immediatorum maximam copiam carbonis continentium (non nisi de caule loquor); in caule endogenarum omnino hæc substantiæ desunt. Sic resina *Aloidis* in foliis exstat; resina *Dracœnæ Dracconis*, et *Xanthoreæ*, cera *Ceroxyli*, non in vasis caudicis continentur sed ad basim foliorum excernuntur.

40. Respiratione nocturnâ humores saccharini et substantiæ amylaceæ præcipuè producuntur; quod probat harum materia rum copiosa formatio in plantis lumine orbatis vel quorum capaces terrâ obruuntur.

41. Respiratio diurna contrà succos resinosos vel oleosos producit, frequentiores quoque inveniuntur in plantis regionum calidiorum in quibus respiratio diurna copiosior esse debet.

42. Color viridis organorum quibus respiratio efficitur respirationis est non causa verū effectus. In vegetabilibus facultas respirandi requirit contactum parenchymatis interni cum aere; id est: seu defectum epidermidis, seu presentia porrumb, si adest epidermis; denique a structurā parenchymatis et a naturâ humorum modificari potest.

43. Calor proprius animalium, et vitæ alacritas presertim ab amplitudine respirationis pendet, quæ ipsa naturæ sanguinis, circulationis modo, organorum respirationis dispositioni subjicitur.

44. Sanguinis natura maxime variat, secundum classes animalium eorumque vescendi rationem, et secundum quasdam circumstantias morbidas.

Copia sanguinis ad corporis magnitudinem respiciens multum

variat eoque major est quod animal intensiore respiratione utitur et quoad hanc functionem sic disponuntur animalia : aves, mammifera carnivora, mammifera herbivora, reptilia et pisces.

Eadem exstat convenientia inter copiam partium solidarum et liquidarum in sanguine secundum classes regni animalis, et eo abundantiores sunt partes solidae quod animal etiam majorem copiam sanguinis, quoad corporis magnitudinem, continet.

Pars solida sanguinis e moleculis seu potius e globulis discoideis constat quae formam et magnitudine variant secundum classes animalium. In mammiferis circulares et minores, in omnibus aliis animalibus ellipticæ sunt. In animalibus frigido sanguine praeditis et præcipue in batraciis majores sunt quam in calido sanguine vigentibus.

In eodem animali semper similes sunt nec variant secundum sexum et ætatem nisi ante partum, etenim in principio graviditatis sanguis foetus globulos continet semper circulares et duplo etiam majores globulis sanguinis matris. Sic sanguine, ut pluribus aliis partibus organismi, foetus subsimilis est animalibus imperfectioribus.

In sero sanguinis dissolvuntur, plures sales, albumen, et quedam aliæ substantiae organicæ ut urea, et materia sebacea substantiæ cerebri similis; haec ultimæ quæ paucissimæ in sanguine reperiuntur, sunt tamen magni momenti ad historiam nutritionis et secretionum. Vix dubitandum est enim alia principia secretionum jam confecta in sanguine exstare et analysi detegenda cum secundæ erunt circumstantiæ.

45. In quibusdam morbis natura sanguinis variat, sic crusta quæ sanguinem supernatat in inflammationibus, e globulis a materia colorante sejunctis constat; eadem disjunctio globulorum centralium et materiae colorantis exstat in toto sanguine animalium acido hydro-cyanico venenatorum, in sanguine echymosarum, in animalibus fulmine vel veneno viperarum interfectis.

Mutationes ergo structure et compositionis sanguinis inter causas quæ vitæ animalium maximas modificationes afferunt, adnumerandæ sunt.

Probabile etiam videtur in multis morbis sanguinem modificari, sed ejus modificationes physiologorum investigationes huc usque effugisse.

46. Naturam sanguinis in nutritione organorum maxime influere observatione omnium fere morborum, sed præcipue morborum a diathesi generali pendentium, probatur.

Convenientia naturæ, seu physicæ, seu chemicæ, sanguinis cum structurâ organorum, confirmatur transfusione hujuscemodii liquoris, periculosâ vel etiam lethali si sanguis dissimilis transfunditur, innocentे verò si sanguis consimilis.

47. Calor proprius animalium certe vi respirationis respondet quæ ipsa pendet a copiâ sanguinis in organo respirationis transeuntis, à naturâ sanguinis, ab extensione membranarum ad quarum superficiem respiratio efficitur, denique a copiâ aeris sanguinem tangentis.

48. In avibus cuius sanguis totus pulmones transit et etiam in aliis partibus contactui aeris exponitur, respiratio intensior est et calor proprius maximus.

In mammiferis sanguis totus æque pulmonibus afferatur, sed in nullis aliis partibus corporis vi aeris submittitur nisi paululum ad superficiem cutis in homine, et forsitan in quibusdam aliis animalibus cute nudâ et tenui præditis: respiratio et calor proprius debiliores suunt.

In reptilibus pars solummodo sanguinis pulmones transit quorum superficies etiam minor fit, respiratio multo debilior est et calor vix temperiem medii ambientis superat.

In piscibus, molluscis et crustaceis sanguis, ut in avibus et mammiferis, organo respirationis transmittitur, sed contactui aeris rarissimi in aqua soluti solummodo exponitur, unde respi-

ratio debilissima quoque efficitur et calor vix ullus producitur.

Insectæ liquore circulente carent, aer vasculis subtilissimis, corpus penetrat ejusque influentiae humores undique effusi submittuntur; sed tarda debilisque respiratio sic efficitur, et calor corporis minimè augetur.

49. Partium solidarum seu globulorum in sanguine prævalentia cum intensitate respirationis congruit. Ut enim sanguis arterialis majorem copiam globulorum continet quam sanguis venosus ejusdem animalis, partium solidarum hujus liquoris quantitatem respiratione augeri videtur, et ideo globulos eò frequentiores in sanguine futuros esse quò respiratione intensior erit.

50. Vitæ alacritas et calor proprius corporis semper ergo a modificationibus respirationis pendent. Respirationis per somnum remissio, imminutioque magna per lethargiam animalium hybernantium, hujuscemodum fonctionis intimam connectionem cum aliis phenomenis vitæ apprime ostendunt.

51. Ut respiratione, vel pulmonaris, vel branchialis, in animalibus sanguine frigido præditis debilissima est, tunc sæpe respiratione cutanea eam supplere potest; in animalibus contrà sanguinem calidum habentibus respiratione cutanea debilior est quam ut respirationem pulmonarem intensissimam supplere possit.

52. Ut frigus semper respirationem minuit, in animalibus jam respiratione tarda et debili præditis, respiratione per hibernem etiam diù omnino intermitti potest absque periculo.

53. Facultatem aera in aqua solutum respirandi ab organisatione propriâ organi respirationis pendere apprime cognoscitur;

In aere libero branchiis nec in aquâ pulmonibus respiratione effici potest; vera amphibia ergo existere non possunt nisi utrumque organa donentur.

§ 3. DE ASSIMILATIONE.

54. Assimilationis modus nos omnino effugit, cuius solummodo effectus videmus, sed eam a structurā organorum pendere patet, etenim in eodem liquore quodque organum elementa sibi similia eligit et attrahit. Si liquor etiam mutatur, nutritio augeri vel minueri potest, sed ejus modus non mutatur: quod probat, 1º insertio cujusdam partis vel plantae, vel etiam animalis in altero individuo diversae speciei, quā causā nec structura organorum nec natura humorum ab illis secretorum mutatur, quamvis diversis liquoribus nutriantur.

2º Immutabilitas structuræ et compositionis organorum etiam si mutantur alimenta quibus alementur.

55. In quibusdam vero circonstantii morbidis assimilatio, seu nutritio cujusdam organi, adeò perturbatur, ut elementa a suis propriis omnino diversa sibi assimilet; tunc organi textura et natura maxime mutantur et degenerationes fiunt quibus nomina imponuntur, squirri, canceris, tuberculorum, etc., quibus verò causis hæc mutatio assimilationis producit, huc usque ignoramus.

§ IV. DE SECRETIONIBUS.

56. Natura liquorum secretorum a structurā organi secretentis et a naturā liquoris ad eum allati pendet.

57. In eodem individuo differentiæ secretionum præcipue a structurā organi secretorii pendent; etenim in animalibus omnia organa, hepate excepto, sanguinem similem accipiunt.

58. Glandulæ structurā similiores liquores æque subsimiles secernunt ut glandulæ lacrymales, salivares et pancreas; contrà glandulæ, structurā diversissimæ, ut glandulæ salivares, renes et testiculi, liquores maxime differentes secernunt.

59. In vegetabilibus vix cognoscitur quomodo secretiones perficiantur; solummodo patet vascula non usque ad cavitates ubi deponuntur liquores progredivi, sed ab illis separari textu utriculari tenuissimo et peculiari.

60. Inter secretiones animalium urinæ secretio eminet. Connexio naturæ hujusce liquoris cum structurâ organi secretorii et compositione sanguinis melius cognoscitur quam in aliis secretionibus. Ejus natura maxime variat secundum classes animalium et secundum statum valetudinis. Ejus variationes a naturâ sanguinis potius quam a structurâ renum pendere videntur.

61. Omittendo substantias, vel omnibus communes, vel minimi ponderis, diversæ urinæ, seu animalium variorum, seu ægrotantium prout adsunt quædam substantiæ propriæ, sic distribui possunt:

ALCALINÆ continentes.	1° Aquam et saccharum. (<i>Diabetes mellitus</i>).
	2° Aquam et albumen. (<i>Diabetes albuminosus</i>).
	3° Aquam, albumen et paululum ureæ. . . (<i>Testudo et ranæ</i>)
	4° Urea, unicè . . . (<i>Mammifera omnia</i>).
ACIDÆ continentes.	5 Ureæ multum et paululum acidi urici. . . (<i>Homo</i>).
	6° Paululum ureæ et multum acidi urici. . . (<i>Aves</i>).
	7° Acidum uricum ferrè purum (<i>Serpentia</i>).

62. Hæ variationes secretionis præcipue a naturâ sanguinis pendent; homo enim, vel sanus vel ægrotans, naturam alimento rum mutando, varietates quinque priores vicissim producere potest. Contrà varietates in structurâ renum non convenient cum varietatibus urinæ.

63. Presentia in sanguine ureæ et verisimiliter aliarum ma-

teriarum urinæ, probat has substantias non renibus produci sed segregari. Sic extractione unius renum urea copiosa altero affertur et secretio maxime augetur; utriusque vero ablatione urea in sanguine remanet vel alijs miscetur secretiōnibus, morsque brevi tempore sequitur. Urea in sudore equorum detecta fuit et in quodam casu morbido in cavitate etiam arachnoidis hominis. Denique existentia uratis sodæ in concretionibus arthriticis probat acidum uricum etiam non in renibus produci.

64. Naturā urinæ hominis et ejus organorum urinariorum structurā fit ut solus inter animalia omnia calculos acidi urici producere possit. Mammifera calculos carbonatis vel phosphatis calcis, seu magnesiæ solummodo continent; calculi calcis carbonatæ frequentiores sunt apud rodentia.

65. Hepar secernendo bilem duobus muneribus fungitur, liquorem producit digestioni perutilem, et sanguinis supervacuum carbonem et hydrogenium detrahere videtur; quo posteriori casu pulmonum vices suscipit et eò magis accrescit quò pulmones minores vel debiliores sunt; in foetu enim hepar respectu totius corporis multo major est quam in homine adulto; Reptilia et pisces quoad magnitudinem hepatis mammifera quoque superant et in piscibus pluribus hepar sanguinem accipit refluans non solum ab organis digestionis sed etiam ab omnibus organis in abdomen inclusis. Magnitudo hepatis in avibus jam respiratione intensa præditis a necessitate sanguinis maxime oxidati in his animalibus pendere videtur.

66. A naturā propriā sanguinis in hepatē influente secretionem bilis pendere vix dubitandum est.

Variationes hujusce secretionis secundum structuram animalium imperfecte cognoscuntur, melius vero quæ a morbis pendent; sic cum hepar adiposum sit, natura bilis mutatur, majorem albuminis copiam, minorem contrà picromellis et resinæ continet; in aliis morbis, et præsertim animalium, ma-

teria flava bilis augetur concretionesque efformat; in pluribus denique casibus cholesterina copiosor sit et calculi producuntur.

67. Præcipuas materias bilis jam insanguine esxtare crediderim, ut cholesterina quæ inventa fuit in concretionibus aliorum organorum et materia flava quæ in icteribus sanguinem tingere videtur, sic verisimiliter calculi biliares pendent a mutatione non modo structuræ glandulæ sed etiam sanguinis.

68 Lactis variationes in diversis mammiferis vix notantur, solummodo cognoscitur lac ruminantium majorem copiam casei et butiri continere quam lac feminæ, equæ et asinæ, quod contraria divitius est saccharo.

69. Naturam alimentorum et igitur sanguinis in hanc secretionem influere nemo ignorat, et secundum etiam aliquot physiologos non arteriis modo sed etiam vasibus lymphaticis glandula materias secretionis accipit, quod tamen nullis experimentis comprobatur.

CAPUT II. DE GENERATIONE,

Seu de facultate novum individuum sibi similem producendi.

70. Generatio, seu divisione corporis entis generantis, seu formatione in cavitate propriâ embryonis a parente distincti, efficitur.

71. Prior generationis modus in animalibus solummodo existare potest quorum organa omnia e textu simili constant nec partes continent e centro communi radiantes et ab eo pendentes; in plantis hic modus generationis facillimè arte, sed rarius naturâ, efficitur.

Plantæ enim constant e partibus inter se simillimis, et ut entia composita fere considerandæ sunt. Gemma quæque omnia continent organa vitæ necessaria et, si a parente disjungitur, novum individuum efformat. Sic insertione et taleis ars vegetabilia multiplicat. Rariùs vero naturâ hic modus adhibetur;

quandoque tamen gemmæ bulbosæ producuntur ad propagationem efficiendam.

72. Generatio embryonipara a gemmiparâ differt formatione rudimenti individui novi quod non modificatione cuiusdam organi parentis producitur, nec partem ejus efformat, nec ei adhærere et cum eo crescere semper potuisse.

73. Embryo vel absque concursu alii individui seu alii organi ejusdem individui producitur, vel hic concursus requiriatur ad eum efficiendum; prima generatio agama; altera sexualis dicitur.

74. Defectus sexuum difficillime affirmari potest. In plantis vasculis et foliis carentibus ut algis, fungis, lichenibus, sexuum defectus probabilis videtur. Attamen quorumdam conservarum conjunctio copulationem sexualem multum refert.

In animalibus generatio agama plerumque connecti videtur cum defectu systematis nervosi, sed adhuc tenebris involvuntur anatomia et physiologia horum animalium.

75. Generatio sexualis a conjunctione particularum diversarum, variis organis vel variis individuis productarum, pendet. Individuum vel organum in quo conjunctio efficitur et embryo evolvitur, fæmineum dicitur; masculum contra si solummodo moleculas aliis conjugendas producit.

76. In entibus generatione sexuali sese multiplicantibus, facultas ens novum producendi ab organismo omnino pendet. Etenim ut embryo efformetur moleculæ feminæ ovulumque eas complectens et moleculæ in ovulo intromittendæ formâ quâdam et naturâ convenire debent, quod probat impossibilitas fecundationis inter entia in quibus suprà dictæ partes differunt etiam si contactus inter eas efficiatur.

Forma et structura seu ovuli, seu molecularum spermaticarum æque pendent a structurâ organorum ea secernentium et a naturâ sanguinis; sed quomodo pendeant omnino ignoramus.

77. Etenim secretio substantiae spermaticae seu secondatis non eodem modo variat secundum naturam entium organicorum quo aliae secretiones. Nam eadem secretio in diversis entibus solummodo variat prevalentia quarumdam substitutarum et presentia vel defectu aliarum, quod pendere videtur a natura sanguinis. Liquor vero spermaticus semper continet corpora solida, propriâ formâ instructa et motu in animalibus praedita.

In animalibus spermatica animalcula variant secundum varias species, verum sibi semper constant in eâdem specie nec ullâ causâ modificantur, quo charactere globulos sanguinis referunt, a quibus originem ducere viderentur?

Forma globulorum spermaticorum plantarum non huc usque apprime observata fit.

78. Ovulorum structura maxime variat secundum modum evolutionis embryonis, sed semper in plantis et in animalibus ovula punctum peculiare ostendant ubi exstant moleculæ animalculo vel globulis spermaticis conjungendæ ut embryo producatur; in animalibus cicatricula nomen accepit, in plantis hoc punctum vesiculam embryonalem nominavi.

79. Haec partes formationi embryonis essentialis in omnibus entibus generatione sexuali sese multiplicantibus extant; aliae secundum modum generationis variant et connexionem facultatum entium organicorum et organismi indicant.

Duo præcipui modi generationis admittuntur scilicet: generatio vivipara et ovipara.

In generatione vivipara embryo a matre aletur usque ad tempus quo propriis organis alimentum suspicere poterit; in ovipara vero alimentum proprium circum embryonem deponitur qui ideo a matre segregari potest.

80. In viviparis contactus liquoris spermatici et ovulorum semper efficitur in visceribus matris. Tunc organa propria exstant quibus hic liquor intromittitur, et organa alia in matre inveniuntur in quibus liquor spermaticus accipitur et embryo

evolvitur; denique copulatio necessaria fit ut fecundatio perficiatur.

Ovula et liquor spermaticus miscentur seu in oviductis seu in utero; ibique fecundatio efficitur eodem modo quo in pluribus oviparis, sed ovulum fecundatum inseritur parietibus uteri et nutritionem ab eo suscipit.

Facultas viventia parturiendi sic ab organisatione peculiare pendet.

81. In oviparis ovula, seu in interiore matre fecundantur, seu exterius liquori spermatico miscentur.

Si fecundatio interius efficitur, ut in avibus plerisque reptilibus, insectis, etc. eadem prima phœnomena ex tant ut in viviparis, nec unquam fecundatio in ovariis, sed in oviductis efficitur; ovula vero proprie dicta jam ante fecundationem connectuntur vesiculæ magnæ substantiam nutrientem continent quæ vitellus dicitur; post fecundationem vero, partem inferiorem oviductorum transeundo duo partes involvuntur, et strato crasso albuminis et etiam crustâ calcareâ.

82. Ova sic secundata et perfecta saepius exeunt a matre, quandoque vero in matris corpore incubantur viviparaque videntur animalia.

Incubatio calorem convenientem et contactum aeris requirit: in incubatione externâ utraque conditio invenitur; in incubatione internâ aer vero deesset, nisi in reptilibus, quorum in corpore matris incubatio incipit et etiam aliquando perficitur, dispositione pulmonum et tenuitate membranarum, ova expenerentur contactui aeris in pulmonibus contenti.

83. Si fecundatio exterius efficitur, phœnomena simpliciora fiunt; hic modus fecundationis solummodo sub aquâ perficitur; tunc ova a feminâ deposita liquore spermatico maris irrorantur. Animalcula cum aquâ strata exteriora ovorum transeunt et ad cicatriculam pervenient.

84. Plantæ, quod ad generationem attinet, medium tenent

inter has duas classes; etenim, ut in viviparis animalibus, embryo primo tempore alitur a matre et si ab illa segregaretur periret; posterius verò a matre secernitur, nec tamen ut plantæ jam evolutæ alimentum exterius suscipere potest, sed nutritur materiâ propriâ in semine dispositâ, et hoc tempore potius animal nascens et lac matris hauriens refert quam embryonem in ovo inclusum. Sic generatio plantarum animalium viviparorum generationem melius refert quam oviparorum.

85. In plantis omnibus cognitis in interiore ovario ovula fecundantur et liquor spermaticus ovula parieti ovarii affixa penetrat, nec ovulis in cavitate uteri liberis, ut in animalibus, misce tur.

Liquor spermaticus, e granulis minimis constans, includit vesiculis propriis seu granis pollinis: pollinis grana duobus membranis involvuntur; exterior, crassior, cellulosa, interior membranacea; cum stigmati imponuntur, membrana exterior rumpitur, interior externè protrudit tubulumque efformat quod stigmatis textum utricle penetrat. Hoc tubulo granula spermatica in textu stigmatis intromittuntur et deinde per meatus inter-utriculares vehuntur usque ad partem placentæ quæ ovulis respondet. Simplex duplexve tegumentum ovula involvens ad partem placentæ appositam perforantur et sic textus cellularis et spongiosus nuclei, vel partis interioris ovulorum, denudatur, et granula spermatica ab eo facilime absorbentur et in vesiculâ introducuntur ubi embryo mox apparet.

86. Innumerabiles sunt variationes organi quibus fecundatio in plantis adjuvatur; dispositio tegumentorum floris, positio staminum et stigmatis, structura hujusce organi, certè productioni seminum perfectorum multùm inserviunt.

Sed variationes animalculorum spermaticorum, organorum copulationis, et ovulorum in animalibus; pollinis et granulorum spermaticorum, stigmatis et ovulorum in plantis, fini majoris momenti prodesse videntur, scilicet: constantiae et im-

mutabilitati specierum. Ab his modificationibus enim difficultas fecundationum hybridarum in utroque regno pendet, et si natura vel arte producuntur, fere semper haec entia hybrida sterilia sunt, et mox absque prole pereunt.

Sic a structura peculiari organorum generationis earumdem specierum stabilitas et immutabilitas, nec unquam novarum specierum creatio pendet.

CAPUT III. DE MOTILITATE,

Seu facultate vel corpus totum, vel ejus partem movendi.

87. Omnia vegetabilia motu translationis carent, quædam verò motu partiali vel foliorum, vel staminum instruuntur.

Structura partium his motibus prædictarum non apprimè examinata fuit. In Mimosâ pudicâ pars petiolorum quæ inflectitur crassior est et ex utriculis sphæricis, minutis, seriatim dispositis constat.

Sensatio quæ motum excitat ab altera parte ad alteram communicatur, etiam si ullâ tremore motum mechanicè transmittitur. Vasibus et humoribus excitatio communicari videtur, de quo multum verò adhuc dubium exstat.

Solummodo patet motilitatem hujusce plantæ et quarumdam aliarum a structura peculiari petiolorum pendere. De aliis omnia ignoramus.

88. Omnia animalia seu motu translationis, seu motu partiali organorum donantur. In animalibus imperfectioribus motus etiam extensores absque fibrâ musculari et nervis exstant. In organismis enim sola telâ cellulari efformatis observantur; sed isti motus lenti et continui nullo modo assimilari possunt rapidis et vibrantibus motibus muscularum, contractione fibrinæ effectis.

Magis referunt motus muscularum vite organicæ et præser-
tim canalis digestivi, vel potius contractiones textus cellularis
venarum.

Saltem vero constat motus animalium non semper a fibrinâ musculari et nervis pendere.

89. In animalibus perfectioribus, ut in molluscis, musculi distincti exstant et motus nervis reguntur, sed adhuc lenti et maxime similes motibus muscularum vitæ organicæ.

Plerique nervi quoque dispositione nervos systematis ganglionaris potius referunt.

90. In aliis omnibus animalibus symmetricis et systemate nervoso regulari præditis, muscularum locomotionis motus sunt rapidi et oscillantes.

Horum motuum causas et rationem quâ efficiuntur melius cognoscimus.

Dum musculus contrahitur, fibra muscularis alternatim pliatur et sic abbreviatur; plicarum anguli nervorum ramulis, fibras decussantibus, respondent. Solummodo influxu nervorum voluntatis hi musculi contrahuntur.

91. In iisdem animalibus alii exstant musculi, organa nutritionis moventes, qui voluntati non submittuntur, nervos e systemate ganglionum profectos solummodo accipiunt et motibus lentis contrahuntur.

92. Motus animalium ab his intimis variationibus organisationis pendent, sic animalia musculis et nervis carentia, motibus debilibus et lentissimis prædita, in aquâ semper vel fluidant, vel rupibus adherent. Quæ musculis instruuntur solummodo lentè sese contrahentibus, in aquis quoque natant, vel in terra reptant; perfectiora denique, motibus rapidis prædita, ad superficiem terræ currunt, seu velociter in aquis natant, vel etiam per aera volant.

93. Diversæ modificationes vel stationis vel motuum translationis in variis animalibus clarissimè a dispositione propriâ partium solidarum, ligamentorum et muscularum pendet.

94. Animalia quæ solummodo organa mollia, ut musculos et

cutem mollem, habent, nunquam motus rapidos efficiunt; nata-
tant vel reptant contractione diversarum partium corporis. Ani-
malia quibus contrà ossa vel partes corneæ et solidæ, inter se
articulationibus connexæ, obtigerunt, motus rapidos exsequun-
tur quæ sunt progressionem, natationem et volatum.

95. Statio seu potius fluctuatio animalium in liquido densitate
simili semper pōsitione centri gravitatis determinatur. Sic in
pluribus animalibus radiatis et in quibusdam molluscis ovaria
vel alia organa densiora corporis suspenduntur ferè ut scapha
aerostatis; idem effectus contra producitur in piscibus, posi-
tione vesicæ natatoriæ ad partem dorsalem corporis, et in cetaceis
presentiā pulmonum. In hac fluctuatione vix ulla vis mus-
cularis adhibetur, nisi aliquando in piscibus debilis motus pin-
narum.

96. Statio contrà animalium ad superficiem terræ vires mag-
nas requirit, ut corpus, legibus graviditatis obediens, non hu-
mi procumbat. Membra quibus corpus sustinetur corpusque
ipsum contractione muscularum ita ponenda sunt ut centrum
gravitatis semper spatio, inter pedes contento, respondeat, sic
quò magis distant et extenduntur pedes eò facilior fit statio.

97. Statio quadrupedum ergo facilior est quam bipedum;
etenim basis sustentationis latior est. et vi musculari etiam de-
biliori corpus super illam stat; membra anteriora quibus corpo-
ris pars et caput sustinenda sunt, vi majori instruuntur quam
membra posteriora quæ presertim progressioni inserviunt.

Caput ipsum, quod anticè protenditur, musculis et ligamento
cervicali robustioribus sustinetur.

98. Bipedum statio difficilior est, conditiones enim quibus
adjuvatur sunt si corpus stat erectum: 1° distantia et latitudo
pedum unde basis sustentionis latior fit; 2° latitudo pelvis quā
et femora distenduntur et rachis firmiter stabilitur; 3° erectio
capitis; 4° denique vires maiores membra inferiora extendentes.

In homine solo hæ omnes conditiones inveniuntur; sic formâ pedum, magnitudine muscularum suræ et clunium; latitudine pelvis et directione obliquâ colli femoris, vi muscularum lumborum et positione erectâ formâque rotundâ capitis, corpus facillime erigitur nec etiam supra quatuor membra stare posset.

Jam vix eadem conditiones in Simiis reperiuntur, difficilius ergo stant pedibus. Quædam sunt enim alia mammifera membris posterioribus stantia, sed potius membris inflexis sedent, vel caudâ robustâ velut tertio pede sustinentur.

99. Avium statio bipedalis ab aliis variationibus organismi pendet; corpus enim obliquè inclinatur ut rostrum usque ad terram deflecti possit, et positione muscularum, motui alarum necessariorum, centrum gravitatis ad partem anteriorem corporis exstat.

Ut basis sustentionis æque anterius extendatur, femora maxima inflectuntur, et tarsus longissimus anterius protenditur, denique longitudine digitorum basis extensor producitur.

Curiosissimus exstat mechanismus quo, etiam absque contractione muscularum, aves dormiendo digitos contrahunt ut ramos arcte amplectantur; a dispositione tendinum muscularum flexorum digitum pendet.

In quibusdam aliis, ut in Ciconiâ, articulatio femoris cum tibiâ adeo construitur ut in extensione immobilis fiat, nec nisi contractione muscularum inflecti possit, itaque sine defatigatione supra pedem unicum stare possunt.

100. Diversi modi progressionis animalium maxime variant secundum eorum organisationem; homo et pleraque mammifera incedunt, currunt et saltant. Quædam etiam non nisi lentè progrediuntur quod pendet a formâ membrorum ut in tardigradis. Quædam arbores scandunt et iste progressionis modus e formâ membrorum præcipue anteriorum necessariè consequi-

tur nempe : e presentia digitorum distinctorum et ferè semper clavicularum.

Alia sunt quæ vix incedere possunt et potius semper saltando currunt, quod semper observatur si membra posteriora longitudine anteriora maxime superant.

Saltus, qui in plerisque animalibus producitur extensione rapidissimâ membrorum, quandoque extensione simili caudæ vel totius corporis efficitur, in serpentibus, piscibus, crustaceis etc.

101. Natatio seu membrorum motibus seu caudæ et totius corporis inflexionibus perficitur. Prior modus exstat in omnibus mammiferis avibusque natantibus et in plerisque reptilibus. Producitur motu simili motui remorum qui eò facilior et rapidior est quò membra extensora fiunt, seu presentia membranarum inter digitos quæ in plerisque animalibus vertebratis natantibus extant, seu dilatatione propriâ membrorum ciliorumque longiorum insertione, ut in multis insectis, etc. Adjuvatur quoque directione obliquâ membrorum horum animalium.

Posterior verò modus in piscibus omnibus, in serpentibus, pluribusque larvis insectorum exstat. Inflexione velocissimâ caudæ efficitur, et cum structurâ propriâ spinæ dorsalis congruit; etenim in animalibus fere omnibus rachis et presertim ejusdem pars dorsalis et lumbaris motibus minimè extensis instruitur, articulationibus numerosis arcte connectuntur vertebrae et etiam quandoque agglutinantur; contrà in piscibus solummodo conjunguntur apophysibus spinosis inferioribus et superioribus, nec motus laterales apophysibus transversalibus impediuntur; musculi quoque valentes ad partes laterales inseruntur, quibus motus maximi vehementes que caudæ imprimuntur.

Sed hæc dispositione ossium et muscularum motus progressio-
nis horizontales solummodo producuntur; ascensus verò seu des-
census contractione vesicæ natatoriaæ efficiuntur, cuius densior
vel rarius fit aer, et sic densitas piscis vel augetur vel minuitur.

In serpentibus mobilitas spine dorsalis formâ convexâ articulationum efficitur quæ eumdem producit effectum sed in omnibus directionibus.

102. Volatus semper convenit cum expansionibus, respectu corporis maximis, quæ alæ dicuntur.

Alæ in animalibus vertebratis, ut aves et vespertiliones, originem ducunt a modificatione propriâ membrorum anteriorum; insecta vero illas obtinent præter membra progressionis.

In quibusdam Sciuris, in Galeopithecis et Dracone non alæ veræ adsunt sed expansiones quæ volatui proprio dicto inservire nequeunt, quod æque dicendum de Exocetis aliisque piscibus volantibus, quanquam hæc organa membrorum anteriorum extensione producantur.

103. In avibus omnes conditiones maxime volatum adjuvantibus exstant; sceletum trunci ferè omnino immobile insertionem solidam musculis præbet; musculi robusti alam demittentes et etiam extollentes pectori et sterno maxime prominenti inseruntur, eorumque pondere centrum gravitatis demittitur; corpus aere fere undique repletum levius fit; denique organa ipsa volatū, pennis levissimis constructa, vix pondus corporis augent. Sic soliditas, vis magna, positio numquam invertenda et levitas convenient.

In vespertilionibus, brevitas membrorum posteriorum, extensio contra anteriorum, vis musculorum pectoralium, et tenuitas membranarum, volatui quoque favent.

In insectis etiam, alæ, membranis tenuissimis confectæ et musculis robustis motæ, parti superiori et anteriori corporis adhærent et omnes conditiones volatui extenso et rapido necessariæ admoventur.

In omnibus ergo animalibus facultas natandi, volandi, pedibus progrediendi, vel etiam scandendi, seu saltandi, a propriis organismi modificationibus pendent.

104. Vis quidem quâ hi motus determinantur certe in fibrâ musculari non sedem habet sed in nervis et præsertim in centris medullaribus. Ut verò diversæ partes systematis nervosi motibus et perceptionibus prosunt, ejus structuræ modificationes, secundum diversos motus animalium, examinandæ sunt cum jam perceptiones tractaverimus.

CAPUT IV .DE VOCE,

Seu facultate sonos producendi.

105. Facultas aeri vibrationes, auribus perceptibiles, imprimenti vocem constituit. Frequentius aere e pulmonibus expulso producitur, sed in quibusdam animalibus vox vel strepitus quidam proprius aliis organis efficitur.

Sic multa insecta, quamquam pulmonibus destituta, sonitus varios seu motu alarum, seu vibratione quarumdam lamellarum cornearum producunt.

Sonus simili causâ effectus, observatus est in quibusdam molluscis etiam aquaticis, pleraque vero animalia aquatica omnino muta videntur.

106. Vocem proprie dictam animalia solummodo pulmonibus respirantia emittunt, sed expulsio aeris flatum solum produceret nec sonum nisi aer vibrationes acciperet a quodam corpore solidio. In larynge vibrationes aeri impelluntur eodem mecanismo ac in instrumentis ligulâ instructis.

Larynx præcipue constat cavitate formâ variabili, cuius parietes cartilaginibus mobilibus construuntur et in parte interiore laminas fibrosas continente quæ glottam constituunt et ligulæ munus efficiunt.

Cartilagines laryngis et glotta musculis moventur, et ab his motibus differentiae sonorum praesertim pendent.

107. In cetaceis glotta deest nec nullus sonitus exitu aeris produci videtur; in reptilibus glotta adest sed solummodo pli-
cis tenuioribus membranæ laryngis efformata et non nisi sibi-
lum efficitur; in batrachiis tamen jam larynx perfectior reperitur
quæ excavatione laterali dupli et resonante et glottæ magis li-
berâ instruitur, unde fit ut tam contentâ et rigidâ voce coaxent.

108. In mammiferis larynx semper convenit naturæ vocis animalium; ut vero nullum ex iis voce modulatâ gaudet et unum-
quodque quosdam solummodo profert sonos, magis minusve
intensos, quamobrem non mobilitate magnâ instruitur organum
et accessoria partes habet quæ potius sonum augent quam mo-
dulant; quod efficitur cavitatibus magis minusve extensis, ac
resonantibus quæ reperiuntur in multis mammiferis sed præ-
sertim in Simo seniculo, in Asino, etc.

109. Instrumentum vocale in avibus omnino diversam struc-
turam exhibet; e duabus constat laryngibus, inferior ad commi-
suram bronchiarum posita, superior ad partem superiorem tra-
cheæ.

Sonus efficitur priori quæ sola glottam veram includit, sed
mutatur et longitudine variabili tracheæ et apertura magis mi-
nusve contractâ laryngis superioris.

Variationes tam intricati instrumenti ferè innumerabiles in
diversis avibus reperiuntur.

Sic glotta et laryngis inferioris cartilagines vel unica pari mus-
culorum, vel tribus, vel quinque moyentur, quod semper con-
venit cum modulatione vocis et cantu magis vel minus perfecto.

Cavitates quoque adsunt resonantes quæ, velut in mammife-
ris, sonum ampliant et clangorem quorundam avium produ-
cent, etenim solummodo in maribus vehementius clamantibus
inveniuntur.

A longitudine tracheæ natura soni magis minusve acuta par-
tìm pendet, velut perfectio cantùs, a facultate hanc canalem
contrahendi vel extendendi.

Sic in avibus constat convenientia organisationis instrumenti
vocis et natura cantùs.

CAPUT V. DE SENSATIONIBUS,

*Seu de facultate corporum exteriorum proprietates per-
cipiendi.*

110. Proprietates corporum exteriorum sensibus et cerebro
percipiuntur. Sensus quibusdam proprietatibus horum corpo-
rum afficiuntur easque nervis ad cerebrum transmittunt ubi
perceptione efficitur.

111. Tactus generalis omnibus fere animalibus pertinet, sed
difficillimè in inferioribus ab irritabilitate distinguitur; ut enim
tactus etiam generalis extet, sensatio quædam percipienda est,
nec semper motus sensationem probant; etenim organa vitæ
nutritionis sæpe corporibus externis tanguntur, et his corpori-
bus excitata, moventur nec tamen sæpius sensatio hujusce tac-
tus percipitur; quod etiam verisimiliter exstat in animalibus
infimis, systemate nervoso carentibus.

Nec dubitandum est hoc modo plantas tactu affectas sese
moveri.

112. Tactus a structura cutis formâque organorum quæ cute
vestiuntur pendet. Omnino deest in partibus substantiis solidis
tectis ut squamis, laminisve corneis; sic tactu carent serpentes,
et plerique pisces; in quibusdam vero posteriorum appendices
peculiares os ambientes observantur quæ tactui inservire vi-
dentur.

Insecta et crustaceæ, undique partibus solidis loricata, ap-

pendicidus quoque mobilibus, prolixioribus, sed corneis, donantur, quibus tactus, verum imperfectissimus, efficitur.

Forma organorum tactum efficientium maxime perfectionem sensationis adjuvant, nullisque animalibus homo, quoad hunc sensum, superatur.

113. Gustus in lingua sedet et perfectio hujusce sensus ab extensione et a structurâ superficie hujus organi pendet, ut solummodo substantiis vel liquidis, vel in liquoribus solubilibus lingua afficitur, molles et numerus papillarum cum gustu perfectiori semper congruunt, contrâ duries linguae et presentia vel squamarum vel aliarum partium solidarum ad ejus superficiem, ut in quibusdam mammiferis et in plerisque piscibus, sensationem hebetare debet.

Extensio hujus organi sensationem perficit; brevitas contrâ ut in plerisque avibus, batraciis, et piscibus eam minuit.

114. Odoratus multò evidentiù secundum animalia variat quum gustus, et ejus perfectio cum extensione membranæ mucosæ et cum crassitudine nervi olfactivi convenire videtur, sed præcipue cum extensione partis superioris hujusce membranæ, idest sinuum frontalium et cucullorum superiorum, qui maxime extenduntur in carnivoris, in Elephante et in avibus carnem depascentibus. Lamineæ superioris ethmoidis foramina, quæ nervi olfactivi magnitudinem indicant, sunt etiam eò numerosiora quò perfectior est sensus.

115. Ut in aere moleculæ olentes diffunduntur, organum ad eas percipiendas aera facile accipere debebat et hac ratione in omnibus animalibus in quibus hujusce sensus sedes apprimè cognoscitur, ea semper invenitur in viâ quâ aer pulmonibus infunditur; ideo apud mammifera, avibus, et reptilia cavitates nasi occupat; in piscibus, quia aera liberum non respirant, mo-

Ieculas olentes aquā solutas nasus accipit, qui cavitatem anterius solummodo apertam sæpius efformat.

116. Non dubitandum est odoratum extare in animalibus invertebratis et etiam in pluribus perfectissimum esse. Sed ejus sedes vel omnino ignoratur vel saltem aliquot dubiis obtegitur; multi credunt in insectis ad orificium seu trachearum omnium seu cuiusdem ex illis odoratum extare, quod comprobaret connexio in aliis animalibus hujusce sensū cum organis quibus aer in corpore intromittitur.

117. Auditū organa solummodo in animalibus vertebratis, in Sepiis et in crustaceis detecta sunt; certè tamen auditus in pluribus aliis animalibus exstat, nos vero fugit quibus organis et quomodo hic sensus perficiatur. A structurā simplicissimā quae invenitur in invertebratis suprà dictis et in piscibus usque ad organisationem maxime intricatam ejusdem partis in mammiferis omnia intermedia inveniuntur; ut verò naturam sensationum quae ab his animalibus percipiuntur omnino ignoramus nec etiam suspicari possumus, usus et convenientia structuræ et effectuum cujusque partis auris nisi exteriorum nullo modo cognoscuntur.

118. Defectus omnium partium organi nisi auris internæ in pluribus animalibus, et destructio membranæ tympani, omniumque ejusdem cavitatis ossiculorum, excepto stapete, in quibusdam morbis aurium, probant saltem has partes solummodo auditum adjuvare nec ei necessarias esse.

A magnitudine contrà sinuum, cum cavitate tympani communicantium, in avibus nocturnis et ab extensione hujusce cavitatis ipsius in mammiferis, noctu prædam investigantibus et sonos etiam debiliores percipientibus, conjiciendum est has cavitates sonum amplificare.

119. Visus perfectio a modificationibus partium oculi lumen refrangentium seu etiam reflectentium et organorum nervoso-

rum quibus percipitur pendet. Variationes partium refrangentium non cum intensitate luminis vel cum perfectione sensacionum conveniunt sed cum naturâ mediorum in quibus animalia vivunt.

Structura contrâ membranarum lumen reflectentium et præsertim organorum ejus proprietates vel percipientium, vel ad cerebrum transmittentium, variat secundum intensitatem luminis et sensûs acumen.

120. In omnibus animalibus in aere tantum viventibus cornea convexa est, et eò convexior quò animalia in aere rariore vivunt; planiuscula contra in piscibus aliisque animalibus aquaticis in quibus, propter densitatem propriam, densitatem aquæ ferè adæquantem, vix radios luminis frangeret.

Lens crystallina vero quæ medium refrangibilis oculi efformat eò convexior est quò animalia per medium densius videre debent; etenim lentem res fert in avibus et in mammiferis; sphæram vero in piscibus, balænis et etiam in avibus urinatoribus; in his animalibus quoque ejus densitas major dicitur, et humores aquosi et vitrei minuuntur prout lens crystallina augetur.

Denique in animalibus quæ vicissim in ere et in aquâ vivunt ut Phocæ, mollitie partis posterioris scleroticae oculus secundum axim deprimi potest et sic crassitudo humoris vitrei minuitur ita ut cùm comprimitur oculus, in aere, cùm verò relaxatur, in aquâ videre possunt hæc mammifera.

121. Visus sensibilitas et acumen ab aliis causis pendet.

1° A magnitudine totius oculi et pupillæ quo appareret in plerisque animalibus nocturnis, visu perfectiori præditis.

2° A colore proprio choroideæ membranæ qui eò saturatior est quò lumen intensius vel visus debilior; eò pallidior contrâ et splendentior quò seu lumen debilius seu visus acutior.

Quod probatur conferendo colorem hujuscem membrani in

animalibus diurnis et nocturnis, in hominibus sanis et in *albinos* dictis qui lumen intensum difficulter sustinere possunt.

3º A superficie retinæ magis minusve extensâ. Retina membranam crassitudine subsimilem in omnibus animalibus efformat, sed apud quædam plicis numerosis instruitur, quæ ejus superficiem maxime augent, apud alia verò lœvis et superficie internæ oculi æqualis appetit.

Semper hæc extensio membranæ cum sensibilitate visus convenit; sic apud aves præcipue reperitur in Aquilis, Falconibus, Alcedinibus et apud pisces observatur in iis qui prædam in mari persequi et e longinquœ videre debent.

4º A magnitudine nervi optici et ab extensione loborum opticorum cerebri. Hæ modificationes systematis nervosi fere semper cum variationibus retinæ suprà dictis congruunt.

123. An modificationes visus oriantur a diversis originibus nervi optici in cerebro, adhuc ignoratur; quod etiam dicendum de influentiâ decussationis nervorum opticorum quæ in plerisque animalibus observatur, in quibusdam verò non exstat.

De functione propriâ partis oculi avium, quæ pecten dicitur, quoque dubitandum est; accessum luminis in quâdam parte retinæ impedire videretur.

124 In pluribus animalibus vertebratis in obscuritate absolute lutâ semper viventibus, visus omnino deest ut in Talpa, Chrysochlore, Spalace et nisi tuberculum minimum infra cutem in loco oculi invenitur; in his animalibus maxime minuuntur lobi optici cerebri nec tamen omnino desunt.

Denique multa animalia e classibus inferioribus absolute organis visus carent, alia vero ea obtinent sed formâ maxime diversâ. Sic in insectis oculi extant, cornei, immobiles, alii simplices, alii ad superficiem cancellati et e pluribus ocellis con-

glomeratis constantes; vel in iisdem animalibus utraque species extat vel una solummodo invenitur.

Omnino ignoratur quomodo structura maxime singularis horum organorum convenit cum naturâ visionis; sed præcipue prodesse videtur visui in directionibus etiam diversis quamquam immobilis sit oculus.

125. Encephalum, seu potius systema cerebro-spinale, organum complexum efformat, sensationes percipiens motusque efficiens. Diversæ ejusque partes diversas etiam functiones expletant et secundum variam harum partium evolutionem facultates animalium maxime mutari videntur.

126 In systemate cerebro-spinali praesertim distinguenda sunt; 1º medulla spinalis e quâ nascuntur posteriùs nervi sensibilitatem cutis producentes; anteriùs nervi motus efficientes. 2º Lobum medium cerebelli qui sensationibus organorum generationis respondere videtur, 3º Cerebelli lobi vel hemispheræ e quibus partim pendere videntur motus voluntarii membrorum posteriorum; 4º lobi optici, in mammiferis tubercula quadrigeminata dicti, qui in plerisque animalibus visus sensationibus percipiendis inserviunt, motusque regulare creduntur, 5º lobi seu hemispherœ cerebri eqnibus in mammiferis partim nascuntur nervi optici et qui determinare videntur motus voluntarios membrorum nempe: partibus anterioribus membrorum posteriorum, partibus vero posterioribus membrorum anteriorum.

127. Numerosæ observationes pathologicæ morborum regiones peculiares encephali occupantium et paralyses vel convulsiones cujusdam partis propriæ corporis efficientium quod supra diximus probant.

128. Semper nervi et pars systematis centralis e quo originem ducunt, majores, sunt prout organa, quibus motam vel sensibilitatem communicant, quoque augentur.

Sic medulla spinalis eò crassior est et nervos majores emittit quò musculi validiores ab éa nervos accipiunt; unde oritur intumescensia medullæ in partibus quæ membris respondent.

Nervi quoque sensuum et pars cerebri unde proveniunt majores sunt prout organum sensus majus et sensatio ipsa intensior fiunt.

129. Si ergo functiones diversarum partium systematis nervosi centralis admittuntur ut suprà eas exposuimus (quod non omnes vero physiologi admittunt), et si eadem connexio exstat inter evolutionem harum partium et facultates quæ eis respondent, conferendo structuram encephali variorum animalium cum eorumdem facultatibus, quomodo posteriores a priore pendent alio modo appareat.

130. In piscibus membris et organis copulatoriis destitutis cerebellum minus minimique lobi cerebrales inveniuntur. Contrà lobi optici maximè evoluti horum animalium, visui perfectiori respondent et eò majores sunt quo visus acutior apparet, crassitudo etiam medullæ spinalis convenit cum presentiâ musculorum robustorum, vertebras moventium.

131. In reptilibus cerebellum minimum et simplicissimum exstat; sed jam lobi cerebrales majores observantur et congruunt cum existentiâ membrorum.

Lobi optici minores sunt quam in piscibus et visus etiam non tam acutus videtur.

132. Avium encephalum cum facultatibus horum animalium apprime convenit. Sic lobi optici majores sunt prout avis visu perfectiori utitur; lobi cerebrales extensi reperiuntur præsertim ad partem posteriorem quæ respondet motibus membrorum anteriorum seu alarum, denique in cerebello lobus medius maximus est quod optime congruit cum acumine sensacionum generationis in his animalibus, lobi laterales contrà minores cum debilitate membrorum posteriorum convenient.

133. In mammiferis lobi optici fere obliterantur et nervi optici partim ex his partibus (id est e tuberculis quadrigeminatis anterioribus) nascuntur partim ex stratis opticis loborum cerebrum; isti vero maximam evolutionem in hâc classe asse- quuntur et eorum magnitudo cum intelligentia perfectiori et cum intensione motuum membrorum horum animalium connecti videtur.

Cerebellum hemisphæris quoque majoribus quam in quibuslibet animalibus instruitur quod etiam vi membrorum posteriorum respondet.

134. Eadem collatio non persequi potest in inferioribus clas- sibus regni animalis; etenim analogia systematis nervosi anim- alium invertebratorum et animalium vertebratorum huc usque dubiis obtegitur et sententiæ diversissimæ de hâc analogiâ a variis physiologias expositæ fuerunt, facultates quoque horum animalium sæpius imperfectè cognoscuntur et connectio harum facultatum et structuræ systematis nervosi vix suspicari potest;

CONCLUSIONES,

Ex omnibus anteâ dictis constat : modum vescendi a struc- turâ organorum digestionis; calorem et vim vitalem a naturâ circulationis et intensitate respirationis; stabilitatem et immuta- bilitatem specierum a structurâ et externâ et internâ organo- rum generationis; modum agendi a dispositione ossium, vi mus- cularum et evolutione nervorum ; denique sensuum perfectio- nem a constructione propriâ organorum et magnitudine nervo- rum partisque cerebri eos emittentium , semper pendere.

De l'Imprimerie de C. THUAU, rue du Cloître-Saint-Benoit, n° 4.